9

CONCLVSIONES THEOLOGICAE, AC PHILOSOPHICAE.

AD ILLVSTRISSIMVM, ac Reuerendissimum D.D. Julium Antonium Sanctorium S. R. E. Card. Sanctæ Seuerinæ nuncupatum.



Ad ſeptem eſt fauces Nili pelicanus, at octo,
Maior vt es Nilo, faucibus ipſe riga.

ROMÆ, Apud Jacobum Ruffinellum.
Anno Domini. M. D. X C.
PERMISSV SVPERIORVM.

ILLVSTR.^mo AC REVER.^mo D. D. IVLIO ANTONIO SANCTORIO


S. R. E. Cardinali amplißimo, ac Collegij Græcorum Protectori optimo.

Io. Matthæus Careophilus Cretensis Collegij Græcorum alumnus. S.



OLEBAT Aristoteles magnũ illum Alexandrum ad bella valde animosum, sæpè coercere verbis (Card. ampl.) magnam obijciens iuuentutis ipsius audaciam, & modicas immaturi animi vires: cui fortißimus adolescens; sine, aiebat, præceptor iuuentutem cum audacia, ne sensim virilitas cum timiditate aliqua superueniat: Gloriosius est iuuenem ardua petere, quàm prudenti animo virum sine aliquo præclaro facinore taciturnam degere vitam. Et profectò ætatis ver quandam secum affert animi facilitatem, vt ad munera qualibet obeunda, quamuis grauißima sint, cogere illum,

atque impellere poßit. Mihi non ita contigit: neque enim tumet mihi animus, quod magnos habeam literarum thesauros. tyro adhuc sum, Et Sacræ Theologiæ non dum perfectus hæres. Nec ego meis vnquam adeo viribus confiderem, Vix vt peracto anno, ex quo Theologus esse cœpi, de altißimo præcipuè Sanctißimæ Trinitatis mysterio tam ardua Theoremata edere vellem, nisi semper voluntati propriæ maiorum meorum auctoritatem præponendam esse censerem. onus ergo sustineo viribus impar, & graue admodũ; leue tamen (vt spero) reddet, qui igneis linguis indoctorum hominum illustrauit mentes, tuæq; Amplitudinis aura, Princeps Illustriß. cui ob publica, & priuata beneficia plurimum debeo. Interim ergo, qui tuis illis hoc nostrum Collegium pietatis alis protegis, me quoque protegere velis; maioresq; postmodum, ac maturiores fructus, quandoquidem tibi vni debentur, expecta. Vale.



CONCLVSIONES
EX SACRA THEOLOGIA.



1 
CIENTIAM esse sacram Theologiam, quamuis obscuris innitatur principijs, arbitramur, Immo scientiarum omnium, etiam propriè dictarum, longè eminentissimam.

2 Subalternari autem matutinæ Beatorum cognitioni, non Theologię ipsorum, siue vespertinę scientiæ, quamuis acquisita viatorum scientia remaneat in patria.

3 Esse quoque vnam scientiam, vnitatemq; sortiri à diuina reuelatione, vel effectu ipsius luminis, quo assentimur cōclusionibus, per abstractiones enim nō nisi manifestatiuè haberi vnitatem scientiarū.

4 Cumq; vna sit, eminenter tamen esse speculatiuam, & practicam, siue potius affectiuam.

5 Eodemq; pacto propter suam eminentiam, certitudine omnibus antecellere; Vnde fit, vt Christianus quilibet certitudine infallibili scire possit, in se reperiri fidem infusam.

6 Habere autem pro obiecto adæquato Deum sub ratione deitatis.

7 Pro capacitate quoque nostra vti plerumque metaphoris; sicut à nobilitate sua habet, vt sub vna litera sint plures sensus, scilicet, literalis, vel historicus; moralis, vel tropologicus; allegoricus; & anagogicus.

8 Inter-

8 Inter hos vero ſenſus, ex ſenſu literali ſumi poteſt certum argumentum.

9 Nobilior tamen eſt ſpiritualis ſenſus, non autem ſemper.

10 Vbi vero omnium Doctorum conſenſus non impediet in aliquo ſcriptutæ loco explanando, poteſt quilibet pius vir nouum, non contrarium textui, excogitare ſenſum.

11 Vanum autem eſt omnia velle ſenſu myſtico explicare; ſicut errant, qui omnia metaphoricè volunt intelligi; quiquè omnia explicāt ſecundum propriam ſignificationem verborum.

12 Neceſſaria denique eſt Theologia; ſimpliciter quidem, de fide loquendo, nam ſine fide impoſſibile eſt placere Deo; ſi vero de prophetia loquamur, ſic & ipſa neceſſaria eſt ad fidelium inſtructionē. ſi verò pro Theologia ſcolaſtica ſermo ſit, ſic & ipſa neceſſaria eſt ad fidelium ædificationem, & ad propulſandas hæreticorum calumnias.

DE SANCTISSIMA Trinitate, & de proceſſionibus ad intra.

13 ALTISSIMVM myſterium ſanctiſſimæ Trinitatis, quamuis nullibi laborioſius quæratur, & periculoſius erretur; quia tamen nullibi fructuoſius inuenitur; Idcirco fide duce, qua ſola cognoſci tam ardua res poteſt; nos quoque aggredientes dicimus, certiſſimèque tenemus.

14 In Diuinis dari proceſsionem ad intra.

15 Non

15 Non tamen hinc sequitur dependentia diuinarum personarum, aut vlla inæqualitas, vt fœdissimè Arius putauit.

16 Verbum autem cordis, quo solet Theologi, tamquā exemplo, diuinas declarare processiones, vniuersaliter loquendo, non distinguitur realiter ab ipso actu intelligendi, nisi tantum ratione.

17 Inter autem nostrum, & diuinum verbum multę sunt differentię, & primò quidem in nobis ex indigentia reperitur, ac vero in diuinis propter summam fœcunditatem.

18 Præterea idem in nobis est realiter intellectio, & verbum, quare per verbum intelligimus. at vero Pater in diuinis non dicitur propriè per filium intelligere, sed intellectione sua.

19 Cum vero intellectio sit idem, quod verbum, & quęlibet persona intelligat, non tamen quęlibet producit verbum, non quia non posit, sed quoniam (vt inquit diuus Augustinus) non conuenit, neque oportet.

20 Et præterea obstat repugnantia proprietatis notionalis, nec non absurdisimè sequeretur confusio in diuinis.

21 Producitur autem filius Dei vel per actum intelligendi, vt Sanctus Thomas vult; vel per actum intellectus, vt Scotus loquitur, nulla enim est inter hæc dicta discordia.

22 Neque vero Scotus, dum memoriam fœcundā principium proprium esse dicit ipsius dicere, dicere hoc quandam aliam esse operationem ab intellectione realiter distinctam existimat.

23 Sicut noluit idem Scotus, dicere esse actum ante intelligere.

24 Hæc autem verbi productio maximè proprio generationis.

rationis nomine appellanda eſt, eſt enim productio viuentis à viuente, à principio coniuncto, in ſimilitudinem naturæ, per vim productionis.

25 Et producitur ſimilis non tantum rei intellectæ, ſed intelligenti etiam, non tamen ipſe ideo generare debet.

26 Secunda ordine originis proceſsio Spiritus Sancti nō eſt generatio, ſimilitudinē enim naturæ nō habet ex vi volitionis; ſicut ait Athanas. Spiritus Sanctus nō eſt genitus, nec factus, ſed procedens.

27 Quare iſtæ proceſsiones partim dici poſſunt ſe ipſis diſtingui, partim vero non diſtingui ſe ipſis.

28 Sicut enim propter ſuam maximam ſimplicitatem non differunt aliquo inter ſe, ſic ſi, quatenus nos eas intelligimus, conſiderentur, propter diuerſas formalitates diſtinguuntur.

29 Quemadmodum etiam vniuocæ, & æquiuocæ diuerſimodè conſideratæ dici poſſunt.

30 Aequiuocæ quidem, ſi conſiderentur immediati ipſorum termini.

31 Si vero conſideretur terminus formalis quo, ſic huiuſmodi productiones pluſquam vniuocæ ſunt.

32 Abſolutè tamen, & ſimpliciter vniuocæ ſunt appellandæ, propter identitatem omnimodam termini communicati.

33 Et ex his ſequitur neceſſariò, perſonas diuinas inter ſe diſtingui ſpecie, ſi notionales ſpectentur cōditiones, eſſe vero eiuſdem ſpeciei, ſi conſideretur diuina eſſentia.

34 Nec tamen ob id pono in diuinis propriè vniuerſale, & particulare, ſed per quandam ſimilitudinem (vt Damaſce. ait) ab humanis ad diuina aſcendo.

35 Sicut nec propriè genus eſt ibi, nec ſpecies, nec ꝑſonæ vocari propriè poſsūt indiuidua vnius ſpeciei.

DE

DE RELATIONIBVS in communi.

36 RELATIO eſt ens reale, neque dependet vllo pacto in ſuo eſſe ab intellectu.

37 Fictitium quoque eſt ponere duas relationis formalitates, quarum altera vocetur, in, altera vero, ad,

38 Eadem enim eſt formalitas in, & ad, & cum in, reale ſit, reale quoque erit ipſum, ad,

39 Imo ipſum ad, vt ad, non ſolum refert ſubiectum ad aliud, ſed etiam dicit ordinem ad ſubiectum.

40 A fundamento autem non diſtinguitur realiter relatio quælibet, ſicut quæuis minima formalitas.

41 Relationes autem in Deo dicunt perfectionem non ſimpliciter, ſed ſecundum quid.

42 Perfectio enim in communi nomen eſt tranſcendẽs reſpectu abſolutæ, & relatiuæ perfectionis.

43 Magis tamen abſolutæ, quàm reſpectiuæ nomen hoc perfectionis conuenit.

44 Et quamuis plures ſint relationes propter perſonarum pluralitatem, & vna perfectio non ſit alia, quia relationes oppoſitæ ſunt incompoſsibiles in eadem perſona, tamen, abſolutè loquendo, quicquid perfectionis eſt in vna, eſt; & in alia, & quicquid eſt in tota Trinitate, in vnaquaque perſona reperitur, Ita vt vna perſona ſit in alia, tanquàm ſubſiſtens in ſubſiſtente.

45 Eſt enim eſſentia tribus communicata vna numero, quę in ſe eminenter continet perfectiones etiam illas, quæ non ſunt meliores ipſæ, quàm non ipſæ.

46 Si autem de diſtinctione relationum ab eſſentia lo-

quamur, sic nullam à parte rei distinctionem actualem admittimus.

47 Est enim vna simplicissima res, & simplicissima formalitas, quæ nec præcisè absoluta est, nec præcisè respectiua.

48 Sunt enim in Deo vnita adeo respectiuum, & absolutum, vt sua munera distinctè obeant, ac si essent actualiter distincta.

49 Ita vt sit à parte rei vna res, & vnica formalitas eminentissima, si relationes considerentur in ordine ad essentiam; si vero inter se considerentur, sic tres sint in Deo Res, & tres formalitates.

50 Tota verò actualis distinctio relationis ab essentia sumitur per comparationem eius ad intellectum creatum.

51 Ab intellectu autem diuino nullo pacto sumi potest ista actualis distinctio, nisi quatenus intellectus diuinus intelligit, formalitatem hanc intelligi non posse à nobis, nisi sub ratione duplicis formalitatis limitatæ.

52 Quamuis autem vna sit hæc formalitas, non tamen est identificata relatio adęquatè, & omnino diuinæ essentiæ.

53 Neque enim est identitas conuertibilis inter essentiam, & relationes.

54 Ex quo virtualis, siue eminentialis sequitur inter essentiam, & relationem à parte rei distinctio.

55 Quæ eadem ponēda est inter essentiam, & attributa essentialia, & inter attributa inter se considerata.

56 Et quamuis à parte rei, iustitia sit realiter sapientia, &c. cum posita tamen à parte rei virtuali distinctione; si tamen hæ perfectiones considerentur in ordine ad nos, falsum erit dicere, vnam esse aliam.

57 Signi-

57 Significatur enim sic relatio rationis, quæ sufficiens est ad falsificandas tales propositiones.

58 Quod si dicamus, & absolutas perfectiones distingui ratione ratiocinata, quæ distinctio fundatur in eminentia simplicissima, nihil derogabimus simplicitati diuinæ.

59 Iam verò ad relationes redeundo, in vna illa re simplicissima dicimus, relationes non esse de quiditate essentiæ, quamuis essentia sit de quiditate relationum.

60 Essentia namque hoc habet sibi intrinsecum vt sit in tribus personis; requiruntur tamen relationes, vt perfectè, & completè reperiatur in tribus.

61 Quare relationes istæ se habēt per modum adiacentis respectu essentiæ, vel tanquam proprium respectu communis.

62 Distinctio autem paternitatis, filiationis, & spirationis passiuæ cum sit realis, actiua tamen spiratio nō distinguitur, nisi virtualiter eminenter a paternitate, & filiatione; quamuis realiter distinguatur ab opposita sibi spiratione passiua.

63 Dicimus enim quatuor esse relationes, quamuis nō sint quatuor res, cum res supponat pro essentia, aut pro personis tantum.

DE DIVINIS PERSONIS.

64 AD cognoscendas diuinas has personas, quibusdam vti solent nominibus Theologi, quibus illarum districtionem significant, sunt autem quatuor, scilicet, persona, suppositū, hypostasis, & subsistētia.

65 Personam autem esse dico, rationalis naturę indiuiduam substantiam; siue intellectualis naturæ in

communicabilem existentiam.

66 Iam vero quoniam dubium est de nomine ὑποστάσεως ex communi tamen vsu sanctorum Doctotum vti eo possumus, non de rigore sermonis.

67 Personæ vero nomen non significat, quid absolutũ, sed respectiuum, non tamen vt dicit, ad, sed vt est proprietas hypostatica.

68 Subsistere autem, vniuersaliter loquendo, est perfectio simpliciter quamuis subsistere conditionibus aliquibus modificatum in particulari non dicat hanc perfectionem.

69 Tres autem esse in diuinis subsistentias respectiuas inter se realiter distinctas, certissime tenemus.

70 At vero probabiliter dici potest, ex sententia quorundam, dari subsistentiam essentialem, & absolutam, sed hæc nõ ponit in numerum cum subsistentijs relatiuis.

71 Inter vero subsistentes subsistentia relatiua, & subsistentem subsistentia absoluta, discrimen hoc est, quia subsistentes relatiuè habent omnia requisita ad productionẽ, ad intra, vel actiuè, vel saltem passiuè; at vero subsistens absoluta subsistentia habet omnia requisita ad operationem ad extra, operationes enim ad extra sunt indiuisæ.

72 Quare vnitatem in Deo ponimus, & numerum, non prædicamentalem, sed transcendentalem, qui potius multitudo appellandus est.

73 Vnitatem quidem simplicissimam, & superessentialem, effectiuum principium, & exemplare omnis numeri creati, quo pacto Deus dicitur vnus, & vnitas, ordo, & numerus.

74 Numerum vero, propter pluralitatem personarum, quæ tamen propriè numero non differunt, sumendo numeri essentiam quomodolibet.

Quod

75 Quod si quæras, quid significet numerus in Deo, respondetur, significari relationes ipsas.

76 Vnitas autem ponitur in Deo tam substātiuè, quàm adiectiuè.

77 Neque putandum est vnitatem hanc vniuocè dici de Deo, & creaturis, comparatio enim hæc abusiua est & impropria, nec vllā includit æqualitatē.

78 Ex numero autem diuino non tollitur vnitas essentiæ, sed excluditur diuersitas.

79 Neque aufertur summa simplicitas; ne diuisio sequatur, aut separatio.

80 Neque itidem negatur virtutis indiuisio, vt æqualitas intelligatur.

81 Sed personalis admittitur distinctio, cum essentiæ in distinctione.

82 Sicut ad tollendam personarum indistinctionem, fatemur illarum pluralitatem, & vnicum, ac singularitatem reijcimus.

83 Ponimus quoque in diuinis ordinem originis, sed alienitatem; non autem alietatem excludimus.

84 Est ergo Deus trinus, & Trinitas, idest trium vnitas, non triplex, neque ter vnus, aut ter vnitas, sicut Trinitas non debet dici trina, nec deitas trina, quamuis Deus sit trinus.

85 Ex pluralitate autem vnitatum non est inferenda pluralitas bonitatum.

86 Et postremo profunda hæc diuinitatis cognitio naturali lumine cognosci nullo pacto potest, nec

87 demonstrari.

Necessaria tamen est homini ad salutem suam præcipuè cognoscendam.

88 Rationes verò, quas afferunt Doctores, ad hoc mysterium explicandam, & exempla non sunt demonstratiua.

Notio-

89 Notiones ad summum quinque tãtum sunt, scilicet, innascibilitas, paternitas, filiatio, spiratio, actiua, & spiratio passiua.

90 Notio autem nihil aliud est, quam propria ratio cognoscendi personas diuinas.

Ex quo sequitur, ea, quæ dicunt ordinem ad actum essentialem, vel personalem non prædicari de notionibus.

91 Quæ vero essentialia sunt, nec vllum dicunt ordinẽ ad actum prædicari posse de notionibus.

92 Dari autem simpliciter notiones, necessarium est, Tum ob interrogationes Hæreticorum; tùm quia reperitur vna persona, quæ ad duas refertur, Hoc autem fieri non potest, nisi diuersis relationibus.

93 Quamuis autem propositio hæc deitas creat, vera sit; ista tamen paternitas generat, est incongrua, licèt enim per generationẽ producatur aliquid realiter distinctum à paternitate, quia tamen, tũ ob alias causas, tum etiam ob hanc, quoniam sequeretur paternitatem generare aliam paternitatem, ideo non admittitur.

94 Necesse est autem ad huiusmodi propositiones uerificandas in diuinis considerare rationem formalem actionum, scilicet, vt quicquid procedit per ipsam actionẽ realiter distinguatur ab eo, à quo procedit, pro quo supponit subiectum.

95 Quare hæ propositiones Deus creat, & deitas creat, Deus generat, & Deus generatur, veræ sunt; falsæ autem istæ, Deitas generat, & Deitas generatur.

DE

DE PERSONA PATRIS in particulari.

96 PERSONAE patris cõuenit esse principium propter solam prioritatem originis.

97 Dicuntur autem & omnes personę vnũ principium ad extra; principium tamen ad extra, & ad intra non dicitur vniuocè.

98 At vero principium, vt dicitur de patre respectu filij, & de patre, ac filio respectu spiritus sancti, vniuocum est.

99 Sicut autem pater dicitur principium, ita filius dici potest principatus posterioritatem originis tantùm intelligendo.

100 Dicitur quoque pater totius deitatis principium, quia ipse est fons, & primum principium aliarũ personarum.

101 Cum autem pater appelletur principium communiter a Doctoribus latinis, Græci vero patres causæ quoque nomen illi tribuerint, illorum quidem optimus est loquendi modus, sed neque Græcorum est erroneus.

102 Neque enim conditiones omnes principij, quas assignant Philosophi, possunt conuenire Deo, & tamen appellatur principium. De rigore igitur sermonis non est erronea propositio hæc, Pater est causa filij, quamuis, propter communem aliorũ vsum, non sit ita loquendum.

103 Conuenit etiam primæ personæ nomen paternitatis notionalis, paternitas enim essentialis toti trinitati conuenit.

104 Multa

104 Multa autem diſcrimina ſunt inter paternitatem in diuinis,& in humanis, quare analogicè conuenit paternitas paternitati increatæ, atque creatæ.

105 Principale uero analogatum eſt paternitas increata.vnde colligitur,ex ſententia Damaſc. paternitatis nomen à diuinis eſſe trāſlatū ad humana, & non è contra.

106 Paternitatem autē notionalem ſubſequitur eſſentialis; attributa enim eſſentialia, quæ in ſuo formali ſignificato includunt reſpectum ad creaturas propter connotatam productionem creaturarū in actu poſitam, poſteriora ſunt ſecundū rationē.

107 Vocatur quoque pater ingenitus, & quamuis fuerit olim hoc nomen ſuſpectum, receptum eſt tamen ab Eccleſia,ſolique patri propriè conuenit.

108 Spiritui autem ſancto nullo pacto cōuenit, quòd ſicubi ingenitus appellatur, eatenus verificatur hoc nomen de illo, quatenus non eſt productus per generationem.

109 Dicitur autem pater potius ingenitus,quam improductus;vt per primę productionis negationem excludantur aliæ.

110 Imaginatio autem illa, quam Scotus poſuit,& reiecit,qua poſſumus imaginari patrem,vt productū, omnino reijcienda eſt.

111 Determinatur enim ex ſe diuina eſſentia ad paternitatem primitate immediationis, & non tanquā ad vnum poſitiuum, ſed tanquam ad alteram partem contradictionis.

112 Cum vero omnis negatio reducatur ad affirmationem,nomen ingeniti ſupponit in patre non fontalem plenitudinem,ſiuè principij auctoritatem, ſed paternitatem, quatenus eſt immediatè coniuncta diuinitati.

DE

113 FILIO Dei conuenit nomen verbi, est enim personale nomen verbum; non essentiale.

114 Verbo autem duæ præcipuæ coueniūt conditiones, scilicet, realiter procedere, & esse repræsentatiuum.

115 Neque verbum ponitur in diuinis metaphoricè, sed propriè, & realiter.

116 Producitur autem verbum non per solius essentiæ cognitionem, in primo instanti naturæ; sed per intellectionem essentiæ diuinæ, personarum, ve subsistentes sunt, siue intuitiua cognitione, & creaturarum, & omnino per intellectum eorum omnium, quæ realiter in essentia diuina relucēt.

117 Cognitio autem hæc appellatur notitia simplicis intelligentiæ, non quia duplex sit in Deo intellectio, altera simplicis intelligentiæ, altera vero visionis, sed huius distinctio sumitur à rebus diuersimodè consideratis.

118 Cum enim necessario producatur verbum produci etiam debet per intellectionem eorum, quæ necessario intelliguntur.

119 Necessariò autem intelliguntur creaturæ etiam secundum esse formale, abstrahendo tamen ab actu existendi in aliqua differentia temporis, quamuis non necessariò amentur.

120 Dicit vero Verbum relationem exemplaris causæ ad creaturas, non secundum proprietatem personalem, sed secundum propriam rationem.

121 Et quo ad vim nominis verbum formaliter, & præcipuè dicit absolutum quid, ex connotato verò

respectiuum, significat enim esse productum per intellectum.

122 Appellatur vero filius imago patris, & hoc habet ex propria ratione suæ productionis.

123 Est enim omnimoda similitudo inter patrem & filiũ, & quæ in humanis reperiri non potest.

124 Dicit quoque ordinem originis ad patrem, & postremò consubstantialis est patri ex vi originis.

DE PERSONA
Spiritus Sancti.

125 SPIRITVM Sanctum à patre, & filio procedere certo certius est, neque propositionem hanc alicui sancto patri Græco aduersari opinor.

126 Quod si qua est apparens in Damasceno discordia, ea facillimè tollitur ex doctrina Doctissimi Bessarionis in concilio Florentino, Propositio enim ex significat patrem esse principale principium, quod verissimum est.

127 Conueniunt ergo in sensu Græci Sancti cum Latinis, quamuis in verbis differant.

128 An verò si per impossibile Spiritus Sanctus nō procederet à filio, distingueretur ab eo, probabiliter defendo.

129 Pater autem & filius vnum sunt principium producendi Spiritum Sanctum, & propositionem hanc esse maxime propriam.

130 Neque vero vnum principium supponit in hac propositione pro aliquo subsistente constituto ex actiua spiratione, & essentia.

Neque hæc propositio intelligitur de vno principio colle-

collectiuè, sed per vnum principium intelligi quodammodo confusè quidem duas personas iam constitutas filiatione, & paternitate; determinatè verò patrem, vel filium.

132 Quare hæc propositio, pater, & filius sunt vnus spirator vera est, sicut vera est hæc etiam de prædicato adiectiuo, pater, & filius sunt duo spirantes.

133 Pater autem propter virtutem generatiuam, & productiuam nullo pacto dici potest duo principia.

134 Vtrum autem de ratione formali Spiritus Sancti ex parte ipsius, vt distincta persona est, sit procedere ex pluribus?

135 Amoris nomen propriè conuenit Spiritui Sancto, si personaliter sumatur.

136 In hac propositione, pater & filius diligunt se Spiritu Sancto, an illud diligere sumatur notionaliter, vt vult Sanctus Thomas, An vero nec purè essentialiter, nec purè notionaliter, vt voluit Scotus? non enim opponuntur inter se istæ opiniones.

137 An Spiritus Sanctus procedat vt amor bonitatis primæ, secundum quam pater amat se, & omnem creaturam?

138 Donum est propriè nomen personale, & attribuitur Spiritui Sancto, licet non posit haberi ratio doni inter personas ad intra.

139 Possunt tamen diuinæ personæ donare se ipsas, ita vt nomen doni sit essentiale.

140 Filius & Spiritus Sanctus tantum doni nomen habent respectu originis, quia sunt alterius.

141 Propriè tamen donum, vt habet rationem primi doni, conuenit Spiritui Sancto; non tamen Spiritus Sanctus est primum donum respectu creaturarum simpliciter, sed respectu rationabilium tantum.

142 Imo primò nomen doni significat respectum dona-

bilitatis, & secundario vt dicit respectum ad donantes.

143 Nomina cócreta essentialia possunt supponere pro persona, item pro essentia, & pro duabus personis in diuersis propositionibus; ad hoc tamen vt supponant pro persona debet adiungi terminus notionalis.

144 Essentia autem neque generat, neque generatur.

145 Constituuntur & distinguuntur personæ per proprietates, quæ sunt ipsæ personæ, & in ipsis.

146 Hęc autē constitutio realis est, quicquid alij dicant.

147 Proprietates autem non sunt entitates absolutæ.

148 Neque constitutio diuinarum personarum est per origines, sed per relationes, vt relationes sunt, vel, vt proprietates hypostaticę sunt constitutiuę personarum; licèt non posśit intelligi intellectione distincta & adæquata pater ante actum generationis.

149 Non enim paternitas ex parte rei habet fundamentum, idest actum generandi pro fundamento, in quo fundetur, sed immediatè, & naturaliter vnitur cum ipsa essentia, tanquam suppositum eius, & simul habet actum generationis.

150 Actus notionales significant essentiam connotando personam, vel absolutum, & respectiuum.

151 Filius voluntate, & necessitate producitur à patre, licet non producatur per voluntatem, si per principium productiuum significetur ipsa voluntas.

152 Velle autē generare nō est prius ratione, quā generare, imò secundū nos velle est posterius, ex parte rei autē concomitatur velle ipsum generare.

153 Relationes diuinæ non sunt potentiæ productiuæ ad intra; sed essentia est principale principium productiuum, licet non proximum, & immediatum,

tum,

tum, sicut terminus formalis productionis, vt quo, est essentia diuina.

154 An æqualitas in diuinis sit relatio realis?

155 Datur missio personarum, quæ est temporalis tantũ.

156 Et quia non mittitur persona, nisi per gratiam gratum facientem, ideo per donum gratiæ gratum facientis mittitur Spiritus Sanctus.

DE SACRAMENTIS *in communi*.

157 SACRAMENTVM nil aliud est, quàm rei sacræ signum, & hæc descriptio est conuertibilis.

158 Constat autem ex rebus, & verbis, præsertim de Euangelicis loquendo, tanquam ex materia, & forma.

159 Et quamuis non omnia Sacramenta habeantur explicitè in scripturis, credendum tamen est verbo tenus fuisse à Christo instituta.

160 Necessitas autem verborum sumitur ex parte efficientis, recipientis, & ex parte significationis.

161 Quamuis autem non liceat verbis Sacramentorum addere, vel detrahere aliquid, conficitur tamen Sacramentum, si corruptio, additio, detractio, interpositio, & transpositio nõ tanta sit, vt totam significationem tollant.

162 Sic etiam si Minister nouum velit inducere ritum, nihil conficit.

163 Necessaria autem sunt Sacramenta ad salutem ante, & post Christi aduentum.

164 Ante vero peccatum Sacramenta nullo pacto erant necessaria.

Sacra-

165 Sacramenta autem nouæ legis cõferre gratiam caufalitate actiua instrumentali tenemus.

166 Habent autem Sacramenta virtutẽ à passione Christi, in illa enim Christus nostrę redemptionis mysterium perfecit.

167 Gratia vero Sacramentalis superaddit aliquid gratiæ communiter dictæ, virtutibus, & donis.

168 Necessariò autem fatendum est dari debere characterem.

169 Est autem character iste potestas quædam supernaturalis, per quam idonei sumus ad exercendum cultum Diuinum.

170 Character autem iste Sacramẽtalis, qui per tria Sacramenta imprimitur, scilicet, Baptismum, cõfirmationem, & ordinem, dicitur esse Christi, quatenus per ipsum ipsius milites dignoscuntur.

171 Est autem character in potentia intellectiua tanquã in subiecto, non in essentia animæ, neque in voluntate, neque in potentia executiua.

172 Gratia vero perficit essentiam, non aliquam animæ potentiam.

173 Ideoq; distinguitur realiter à charitate perficiente voluntatem.

174 Character autem quoniam nihil habet contrarium indelebilis est, & etiam quia dicitur configuratio Sacerdotij Christi.

175 Sacramenta igitur nouę legis ex opere operato hos effectus instrumentaliter causant; At vero Sacramenta veteris legis nullo pacto erant collatiua gratiæ, quamuis hominibus tunc cõferretur gratia per fidem.

176 Erat igitur circuncisio figuratiua baptismi, & quodammodo purgatiua.

177 Sicut etiam dici poterat rememoratiua culpæ, & anago-

anagogicam signum futuræ impassibilitatis.

178 Benè vero instituta fuit in Abraham in signum futuræ Christi incarnationis, & ad distinctionem Israel ab alijs gentibus.

179 Octauo die meritò circuncisio fiebat, & post octauũ quoque diem, ante vero non licebat.

180 Pueris autem illis tunc in vitæ discrimine constitutis satis erat applicatio fidei, quæ fiebat in lege naturæ.

181 Sicut etiam fœminis in ipsa lege scripta sufficiebat ista applicatio.

182 Talis autem applicatio non requirebat fidem formatam, aut informem necessario, sed sufficiebat actus fidei applicantis, confusè saltem.

183 Sed vtrum applicatio hæc fieret per signum aliquod exterius?

184 In Sacramentis veteris legis virtute fidei conferebatur gratia etiam quoad effectus positiuos, & ad tollendam concupiscentiam, nunc verò & in Sacramentis & per Sacramenta confertur nobis gratia virtutem habentia à passione Christi iam exhibita.

185 Iam vero, loquendo de causa Sacramenti, minister Sacramentorum dicitur ministerialiter concurrere ad gratiam.

186 Christo autem, vt homo est, conuenit concurrere ad internos effectus Sacramentorum, meritoriè, & efficienter.

187 Habet enim mediam potestatis excellentiam, quæ soli ipsi conuenit.

188 Hæc autem potestas excellentię quę data fuit Christo quatenus homo est, poterat etiam ab eo puris communicari creaturis, propter diuinam tantum acceptationem, & ex suppositione.

189 Mini-

189 Miniſtri autem tàm boni, quàm mali miniſtrare poſſunt Sacramenta, cum habeant characterem indelebilem, quamuis mali non debeant.

190 Imo etiam infideles tempore neceſſitatis conferre poſſunt baptiſmum.

191 Malitia igitur Miniſtri quo ad mores ſibi tantum nocet, ſi ſit occultus, ſi vero manifeſtus ſit Hæreticus, vel Schiſmaticus, &c. ſibi nocet, & conſentientibus, ſed ſeruatur Sacramenti veritas. malitia vero quæ ſpectat ad eſſentiam Sacramenti, tollit ipſum.

192 Peccant ergo miniſtri mali Sacramenta miniſtrando, peccatum autem mortale eſt.

193 Angeli quoque poſſunt miniſtrare Sacramenta non tamen ordinariè, ſed extraordinariè, & per commiſſionem.

194 Dęmones autem nullo pacto conferre poſſunt Sacramenta.

195 Neceſſaria vero eſt ad conficienda Sacramenta intentio ſaltem virtualis, & confuſa.

196 Sunt autem eccleſiæ ſeptem Sacramenta varijs collecta rationibus; ſcilicet, baptiſmus, confirmatio, Euchariſtia, pœnitentia, extrema vnctio, ordo, & matrimonium.

197 Et bene conſtituta ſunt hoc ordinè diſpoſita Sacramenta.

198 Quod ſi ſpectetur nobilitas Sacramentorum, tunc quia nobilitas ſumitur à ſubſtantia Sacramenti, ſic Euchariſtia eſt perfectiſsimum Sacramentorum omnium.

E X

EX PRIMA
Philosophia.

199 PRIMA Philosophia pro obiecto adęquato habet ens, vt ens est; agit enim de primis abstractis tàm secundum essentiam, quàm secundùm indifferentiam.

200 Ens autem hoc analogum est respectu Dei,& creaturarum,substantiæ, & accidentis; ab vno autem,vel ad vnum, respectu substantiæ tantum,& accidentium.

201 Neque habet propriè ens passiones, idest primo,& vniuersaliter,sed vnum,verum,bonum, & ens esse multiuoca.

202 Sicut impropriè habere ens dicitur diuisionem, sed solum enumerationem.

203 Omnes autem homines naturaliter scire desiderare, verissimum est;appetitus autē iste est rationalis.

204 Philosophiæ naturalis obiectum primum,& adæquatum non est ens mobile, sed corpus naturale, vt naturale est.

205 Quod autem primo cognoscitur,est indiuiduum vagum accidentis sensibilis communis.

206 Quantitas vero realiter distinguitur à substantia.

207 Maximum & minimum in rerum natura datur definitè, & indefinitè.

208 Elementa autem extrinsecè determinantur ad maximum,& ad minimum.

209 Rerum principia contraria sunt, & non contraria; sunt autem principia, quæ neque ex alijs, neque ex alterutris, sed ex illis omnia fiunt.

210 Tria autem omnino sunt,scilicet materia, forma, &

priuatio, quæ per se requiruntur ad cuiuslibet rei productionem.

211 Materia quæ subiectum primum est, ex quo fit aliquid, cum insit, in completa substantia est.

212 Habet autem proprium actum entitatiuum, non autem formarum inchoationem.

213 Fictitia quoque est corporeitas illa, quam aliqui ponunt.

214 Includit etiam quãtitatem coæuam interminatam.

215 Materia vero cęli diuersa est à materia horum inferiorum.

216 Natura est principium motus, & quietis eius, in quo est primo, per se, & non secundum accidens.

217 Hæc autem definitio cœlo etiam conuenit, quamuis altiori modo.

218 Conuenit etiam animę rationali, quamuis & ipsi latius naturæ nomen acceptum conueniat.

219 Forma vero non solum est nobilior materia, sed etiã ipso composito, nempe forma in materia.

220 Causarum genera quatuor tantum sunt, scilicet materiale, formale, efficiens, & finale.

221 Fortuna vero, & casus, illa quidem in rationi participibus, hic vero in agentibus naturalibus sunt causæ per accidens.

222 Motus est actus entis in potentia, prout in potentia.

223 Infinitum actu nõ datur in rerum natura, nec etiam fieri potest.

224 Locus est superficies corporis continentis, immobilis, & est formaliter de prædicamento quantitatis.

225 Sumitur autem immobilitas loci non à distantia quadam, neque per æquiualentiam, nec postremò, quia per accidens moueatur, sed propter immutabilem corporum recto motu mobilium locũ,

de hoc

de hoc enim egit Aristoteles, & eundem semper cœli motum circa centrum.

226 Vacuum autem non datur in rerum natura, neque si daretur, in eo fieri posset motus successiuus.

227 Tempus est numerus motus, à quo non distinguitur realiter, secundum prius & posterius, est autem numerus numeratus, idest, mensura motus nullo pacto dependēs ab intellectu in suo esse formali.

228 Omne autem, quod mouetur, ab alio moueri necesse est, quare necesse est, vnum dari primum mouens immobile.

229 Vtrum cœlum sit compositum ex materia, & forma?

230 In cœlo sunt positionum differentiæ ex natura rei.

231 Cœlestia corpora non sunt vnius speciei specialissimæ.

232 Astra vero omnia differunt inter se specie.

233 Vtrum autem dentur influentiæ?

234 Cœlum agere dicitur in hæc inferiora per lumen, & motum; & hoc sphæræ Solis tribuitur, quæ simul & propter lumen, & propter suum motum agere potest.

235 Alteratio est motus continuus.

236 In generatione, & corruptione non necesse est fieri resolutionem vsque ad materiam primam.

237 Augmentatio est conuersio nutrimenti in substantiam nutriti per actionem caloris naturalis factā ab anima, vt viuens debitam sibi quantitatem attingat.

238 Elementa autem in mixto non remanent actu, & formaliter.

239 In quolibet autem elemento reperitur duplex qualitas, altera in summo, altera vero remissa.

240 Anima est actus primus corporis Physici, organici, potentia vitam habentis.

241 Intel-

241 Intellectiua vero anima est forma informans, non autem forma asistens.
242 Est autem tota in toto, & tota in qualibet parte.
243 Et est immortalis, atque impassibilis.
244 In vno autem composito non necesse est plures animas reperiri, sicut non est vna anima in omnibus viuentibus.
245 Potentiæ animæ non dependent ab anima in genere causæ efficientis, vel formalis.
246 Vegetatiua anima continet nutritiuam, augmentatiuam, & generatiuam potentias.
247 Istæ vero neque inter se, neque ab anima distinguũtur realiter.
248 Sensitiuæ animæ potentię quinque sunt exteriores, & quatuor interiores; & sensatio fieri non potest sine medio.
249 Intellectiua vero anima, vt nobilior est, ita nobiliores continet potentias, & eminenter omnes animarum inferiorum perfectiones.
250 Ita vt inferiores potentię superioribus subijciantur in suis operationibus, superiores verò præcipuè ad acquirendam perfectissimam fœlicitatem conducant.

